VNIVS

ARTICVLI, DISSOLVBI
litatem matrimonij contingentis,
uera declaratio, & per ſacrā ſcri=
pturam ſufficienter roborata,
contra Lutheranū dogma
in eadem ma=
teria.

Authore Gaſpare Saſgero
minorita.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ASSERTIO LVTHERANA.

Vir qui ab uxore ſua diuorciatur, facultatē habet cōtrahendi cum alia, Similiter mulier diuorciata à marito. Niſi interdicatur illi, qui uel quæ cauſam præſtitit diuorcij.

ASSERTIO ANTILVTHERANA.

Celebrato inter coniuges diuortio, nulli parti licet contrahere cum alia perſona, excepto eo quod infra de infideli declarabitur.

Probatur hæc primo per illud ad Roma. Quæ ſub uiro eſt mulier, uiuente uiro, alligata eſt legi, ſcilicet matrimoniali. Si aūt mortuus fuerit uir eius, ſoluta eſt à lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, ſi fuerit cum alio uiro. Hæc ibi. Ex hoc apoſtoli dicto inferuntur duo. Primum, quòd indiſſolubilitas matrimonij ſibi eſſentialis, quæ ſtat in obligatione ad debitum coniugale reddendum, ſi petatur, durat per totā uitam quouſq; alter coniugum moriatur. Secundum, quòd mulier ſi uiuente uiro copuletur alteri, adulterat. Idem cenſendum de uiro. Nam in his quæ iuris matrimonialis ſunt ad paria iudicantur. Igitur nullus coniugum cum alio contrahere poteſt, quantumlibet diuorcientur.

[Margin: *Prima probatio.* / *Roma. 7.* / *Primum.* / *Secundum.*]

Secundo. Per illud eiuſdē, his qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego ſed dominus, uxorem à uiro non

[Margin: *Secūda probatio.* / *1. Corin. 7.*]

ro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptã, aut uiro ſuo reconciliari. En dominus non concedit di=ſcedenti cum alia contrahere. Vbi nullum quoq; exci=pit caſum, in quo limitetur prohibitio.

Tertia pro batio.

Tertio. Quando ob fornicationem alter coniugũ diuortiatur ab altero, ſi poſſunt cũ alijs cõtrahere ſe=quitur quod ex crimine reportatur commodum, ſaltẽ ex illa parte, quæ fornicata eſt, quia libera efficitur à lege matrimonij.

Obiectio.

Si dicatur, quòd hoc præcluditur per annexã clau=ſulam, uidelicet niſi interdicatur illi, qui uel quæ cau=ſam præſtitit diuortij.

Reſponſio.

Reſponſio. Quæro abs te, illa perſona, quæ huiuſmodi cauſam præſtitit, poteſt ne iu re diuino alteri nubere an non? Si ſic, ergo non poterit ſibi interdici. Et ſic ſtat argumentum. Si nõ, fruſtra & nugatorie adijcitur illa clauſula.

Quarta p= batio.

Quarto. Illa libertas uel conceſſio erit pleriſq; nõ leuis, ſed uehemens adulterij occaſio. Nã ſi mulier ha=bet uirũ odioſum mœchabitur, ut à lege uiri ſoluatur, aut ſi maritus odit coniugem, procurabit per nephas occaſionem ut mulier fornicetur, ut ſic ab eius uinculo ſoluatur, & alteram ducat, & ſic machinatões in mor tem alterius coniugis fient.

Quinta p= batio.

Quinto. Contractus matrimonij alterius coniugum cũ alia perſona, priore adhuc uiuẽte, eſt odioſus, quia cõtra iura matrimonij, inter quæ unũ eſt indiſſolubili

tas

tas per totam uitam. Ergo nõ eſt decernendus licitus, niſi expreſſe in ſcriptura diuina inueniatur cõceſſus, aut ex his, quæ in ſcriptura continentur diuina, efficaciter cõcludi poſſit. Neutrum horum eſt in propoſito, nec ex dictis ſaluatoris nec Pauli.

Sexto. 1. Cor. 7. Mulier poteſtatem ſui corporis nõ habet, ſed uir. Similiter uir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier. Ergo nullus coniugũ poteſt alteri nubere. Nã daret alteri id cuius poteſtatẽ nõ habet, ſcilicet corpus ſuũ, & ſic rapinam cõmitteret. Sexta.

Septimo. Poteſtas corporũ non ſoluitur per diuortiũ. Probatur primo negatiue, quia non inuenitur in uerbis Chriſti & Apoſtoli Pauli. Secundo affirmatiue, Nam aliud eſt diuortiũ, aliud facultas cũ alio contrahendi. Et illud ſecundũ multo ponderoſius eſt primo, nec habent colligantiã ad inuicem. Hoc claret ex uerbis Pauli. Si diſceſſerit mulier maneat innupta, aut uiro reconcilietur. Igitur ex conceſſione primi, concludi non poteſt ſecundi conceſſio. Nam conceſſo minori nõ ob hoc maius conceditur. Septima.

Octauo. Datio mutua corporum, quæ in contractu matrimoniali fit, eſt à deo roborata, Chriſto ſententiãte. Quod deus cõiunxit homo nõ ſeparet. Igitur ꝑ nullum caſum ſuperuenientem ſoluitur, ſine dei diſpenſatione, quæ in ſcriptura clare nõ inuenitur. Ergo in ca Octauũ.

ſu ambiguo, pro matrimonio potius, quàm contra, eſt ferenda ſententia.

Nonū. Nono. Matrimonij indiſſolubilitas ut in nullo caſu per totam uitam ſit ſolubilis reſpicit bonum cōmune. Tres rationes indiſſolubilitatis quo ad bonum cōmune. Per hanc etenim multæ graues intricationes & nodi pplexi reſcinduntur, plurimæ iniquæ machinationes ad diuortia procuranda propelluntur. Occaſiones quoq; reconciliandi diuorciatos, aut ne diuortientur coniuges ſubminiſtrantur. Diſpenſatio uero ad contrahendum cum alio, bonum reſpectat ſolum priuatum, cui bonum commune eſt præferendum. Igitur pro bono communi eſt iudicandum, cum ex ſcriptura efficaciter probari nequeat contrarium.

ARGVMENTATIONES PRO LVtherana aſſertione contra antilutheranam.

Prima inſtantia. Matth. 19. In contrariū adducitur primo illud Saluatoris. Quicunq; dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et is qui dimiſſam duxerit, mœchatur. In qua authoritate cum duo dicātur requiſita ut mœchus dicatur, ſcilicet qui dimiſerit uxorem & aliam duxerit, & exceptiua interponatur clauſula, uidelicet, Niſi ob fornicationem. Sequitur ꝙ illa clauſula ad utrunq; ſit referēdā, tam affirmatiue quàm negatiue.

Affir=

Affirmatiue quidem, ut utrunq́; requiratur ad hoc ut mœchus dicatur, ſcilicet dimiſſio uxoris, & alterius ductio.

Negatiue quoq́; ut ſi fornicatio interuenerit, & ob hoc uxor dimittatur, ac alia ducatur non cenſeatur mœchus.

Reſponſio. In uerbo Saluatoris adducto duæ ſunt prohibitiones. *Reſponſio*

Prima, quòd uir non dimittat uxorem, de qua Paulus ad Corinth. His qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego ſed dominus, uxorem à uiro non diſcedere, & uir uxorem non dimittat. *Prima prohibitio. 1. Corin. 7.*

Secunda, quòd aliam nõ ducat dimiſſa priore, quia digamia lege diuina eſt illicita, ut claret ex uerbo ſaluatoris. Qui fecit hominem ab initio, maſculũ & fœminam fecit eos, & erunt duo in carne una. Non ait tria in carne una, ſed duo. Cum enim uir fiat per carnalem copulam una caro cum fœmina, ſi duas habuerit cum quibus factus eſt una caro, quæ ambæ uitales carpunt auras, coniungentur ambæ in uiro. Et ſic mediante uiro erunt tria in carne una, quia duo coniungũtur in tertio. Cum itaq́; duæ ſint prohibitiones, quarum primam ſequitur clauſula exceptiua, ſcilicet niſi ob fornicationem, quæ eſt pars primæ partis totius copulatiuæ, & per conſequens excuſat & infirmat primam prohibitionem concedendo contrarium, uideli= *Secunda prohibitio. Matth. 19.*

cet, quòd ob fornicationem perpetratam, licet innocenti uiro fornicariam dimittere, infertur quòd ex textu & uirtute locutionis, quia ſolum uni prohibitioni connectitur, ad aliam non poterit extendi, ut diſpenſet ad contrahendum cum alia. Nam maius non includitur in minori, & diſpenſans in uno, nõ ob hoc in alio maiori diſpenſat. Ad crimen quidem mœchiæ inocurrendum, non ſufficit uxoris dimiſſio, niſi concurrat alterius ductio, & totius copulatiuæ uerificatio, quia de mœchia præceptum eſt negatiuũ. Ad cuius tranſgreſſionem actus requiritur poſitiuus, nec ſola uxoris dimiſſio ſufficit. Non ſic de diſpenſatione, quæ eſt ſtricti iuris, ad cuius ſtabilitionem exigitur autentica diſpenſationis facultas. Vnde ex illa authoritate non poterit efficaciter coxcludi matrimonij contractus cum ſecunda uiuente prima, eſſe ex euangelio conceſſus.

Secunda inſtantia. 1. Corin. 7.

de infideli

Secundo adducitur illud Pauli. Infidelis ſi diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater uel ſoror in eiuſmodi. Ex uerbo hoc infertur, q̃ infideli diſcedẽte, licet alteri nubere, cũ dicat Apoſtolus. Nõ eſt ſeruituti ſubiectus, hoc eſt, captus. Si nõ eſt captus, ergo poteſt libere nubere. Et dicitur hic infidelis nõ ſolũ nõ baptizatus, ſed quilibet falſus Chriſtianus, unde extendit ſe ad omnem diſceſſum ex quacunq; cauſa.

Reſponſio

Reſponſio. Tria ſunt hic diſcucienda. Primum eſt,

quis

quis in his Pauli uerbis dicatur infidelis. Secundũ, quæ cauſſa diſceſſus. Tertium, quæ ſit illa ſeruitus & contraria libertas.

Quo ad primum. Verba Apoſtoli cum ſuis circum ſtantijs ſunt maſticanda, circa quod perſpiciendus eſt textus in forma, qui ſic habet. Cæteris dico ego, non dominus, Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier uirum habet infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, nõ dimittat uirum. Sanctificatus eſt enim uir infidelis, per mulierem fidelem, et ſanctificata eſt mulier infidelis, per uirum fidelem. Alioqui filij ueſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt, quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater uel ſoror in eiuſmodi. In pace autem uocauit uos deus. Vnde enim ſcis mulier, ſi uirum ſaluum facies? aut unde ſcis uir, ſi mulierem ſaluã facies? Hæc ille.

Primum declarandum quis dicatur infidelis

Ex hoc textu claret, quòd Paulus infidelem accipit pro nõ baptizato. Ea enim tẽpeſtate in principio prædicationis apoſtolorum crebro uxores ad fidem cõuertebantur, maritis in infidelitate remanentibus, & ecõtra, & nõ modo remanentibus, uerũ quoq; nonnunq̃ moleſtantibus & cogentibus alterum coniugum conuerſum ad priorem perfidiam & idololatriã, alioqui ſi de quolibet peccato mortali, quod facit falſum Chriſtianum quo ad ueritatem uitæ, intelligeretur, quomo

Declaratio textus Pauli.

do Paulus diceret. Cæteris dico ego, non dominus? cũ dominus dicat. Non licet dimittere uxorem, niſi cauſſa fornicationis. Niſi forte & fornicationem accipias pro omni peccato mortali, quo anima fornicatur à deo moraliter. Sed quid abſurdius? Hoc enim modo liceret pro omni peccato mortali, celebrare diuortium, ad hoc facit quod ſubditur. Et hæc conſentit habitare cum eo. Si enim ambo Chriſtiani ſunt, quo ad baptiſmum, tenetur quælibet pars conſentire in cohabitationem cum altero coniugum. Et ſic iterum nõ eſſet apoſtoli conſilium cohabitare, ſed præceptum domini. Patet & ex eo quod ſubnectit. Sanctificatus eſt enĩ uir infidelis, per mulierem fidelem. Et ſanctificata eſt mulier infidelis, per uirum fidelem. Quis diſcernet fidelem ab infideli, ſi de baptiſatis chriſtianis loquitur, & de qualibet peccato mortali? cũ ſaluator dicat. Nolite iudicare & non iudicabimini. Nolite condemnare, hoc etenim contra charitatem militat.

Matth. 7.

Secundum, quæ cauſa diſceſſus.

Quod ad ſecũdũ de cauſa diuortij. Seruator noſter unã ſolã cauſam diuortij celebrãdi exprimit, uidelicet fornicationem, quæ accipi & intelligi ſecundum communem ſcripturæ uſum debet. Accipit autem ſcriptura fornicationem in duplici ſignificatione. Primo de fornicatione corporali prout frequenter Paulus de ea loquitur. Secundo, de idololatria quo modo creberrime in pentateucho & prophetis accipitur. Vnde cla-

Duplex fornicatio in ſcriptura.

Ca diuortij

ret

ret falſum, quòd extendat ſe ad omnem diſceſſum ex quacunq; cauſa. Colligitur etiam hoc ex phariſæorum interrogatione, & ſaluatoris reſponſione. Interrogauerunt equidem, ſi licet uiro dimittere uxorē ex quacunq; cauſa, ad quos reſpondet Saluator negatiuam, q̃ probat per ſcripturam. Cũ igitur ſaluator unicam diuortij cauſam ponat, certum eſt apoſtolum nullam aliam concedere uel permittere, alias à ſaluatore diſcreparet. Quid enim eſſet illud permittere, niſi cũ licencia peccare? Potiſſime cum nouum Teſtamentum non permittat mala ſicut uetus. Falſum ergo eſt, quòd apoſtolus permittat diuortium propter iram. Et cum probatur ex hoc, quod ſubnectit de reconciliatione, inſufficiens eſt illa probatio, nam reconciliatio cohabitationem matrimonialem reſpicit, & ſic cõmunis eſt omnibus cauſis diuortij, iuſtis & iniuſtis.

Quoad tertium de libertate & ſeruitute, perſpicuum eſt, quod matrimoniale uinculum magnam habet annexam ſeruitutem, & hanc duplicem. *Tertiũ quæ ſit in uerbo pauli ſeruitus.*

Prima ex cohabitatione oritur, qua cogitur coniux matrimonij onera tollerare, & de omni re domeſtica curam agere, qua mens ad terrena deprimitur, teſte apoſtolo. Qui cũ uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuiſus eſt. Et mulier quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo *Duplex ſeruitus matrimonij. Prima. 1. Corin. 7.*

placeat

placeat uiro. Et ſic corporaliter & ſpiritualiter capti & alligati ſunt.

Secũda ſeruitus. Roma. 7. *Secunda reſultat ex mutua corporum datione, per quam quiuis coniugũ ius habet in altero, quamdiu ambo uiuunt. Roma. 7. ut eſt ſupra allegatũ. Hæ duæ ſeruitutes inter ſe diſtinctæ ſunt, ſic quòd non habent neceſſariam connexionem & indiſſolubilem, cũ una ſine alia eſſe poßit. Ergo nec una infert aliam, neceſſaria conſequentia. Nec per conſequens diſpenſatus in una, diſpenſatus eſt in alia. Igitur cum dictum Pauli uerificari & intelligi de prima poſſit abſq; abſurditate, & textus detorſione, nõ poteſt ex eo efficaciter utraq; concludi.*

Itaq; ſi infidelis modo dicto diſcedit, nolens cum fideli cohabitare ſine iniuria uel blaſphemia creatoris, diſcedat, quo ad cohabitationem. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater uel ſoror in huiuſmodi ut cogatur ipſum ſequi uel eius quærere reconciliationem. Cũ in cohabitatione quoq; periculum ſit ne fidelis per infidelem ſeducatur aut ſubuertatur. Ideo ſubdit apoſtolus. unde enim ſcis mulier, ſi uirum ſaluum facies? hoc eſt ad fidem adduces, aut forte ab ipſo ſubuerſa, cum ipſo pereas. Et idem de uiro fideli cum muliere infideli. Hac ratione olim iudæis interdicta ſunt cũ alienigenis matrimonia, ne per eas ad idololatriam inducerentur, & per eccleſiam fidelibus cum infidelibus, hæc di-

cta ſunt de efficaci probatione & conſequentia neceſ ſaria, quibus primum diuortium, non infert ſecundū.

Cæterum cum Paulus de infideli proprie dicto loquatur, ut circumſtantiæ literæ indicant, poteſt ſuſtineri etiam ſecundus intellectus, uidelicet, quòd fidelis alteri nubere poſſit. Et quod infidelitas proprie dicta, utrunq; uinculum ſoluat, quia tangit fundamentū ſalutis, ſcilicet fidem, & in cohabitatione eſt ſubuerſionis periculum. Qui etiam conſtitutioni eccleſiæ bene quadrat, quæ ſtatuit quòd fidelis contrahere nequeat matrimonium cum infideli, & contractus initus diſ ſoluendus ſit. Cum itaq; eccleſia non approbet nec ratificet matrimonium cum talibus contractum ob periculum, non diſcrepabit ab eius decreto, ſi & prius cō tractū ſoluatur, cum eadem ſit cauſa. Porro ſi infidelis cohabitare uellet cum fideli ſine ſollicitatiōe ad perfidiam, & ſine iniuria creatoris, concedit & conſulit Paulus cohabitationem matrimonialem, unde ait. Cæteris dico ego non dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Ego inquit non dominus, ut intelligatur loqui ſpiritu apoſtolico, qui diuinus quidem eſt, non tamē præceptorius in hoc facto. Ex quo datur intelligi, quòd ſæpe beatus apoſtolus ſpiritu illo apoſtolico, tanquàm fidelis doctor & omnium bonorū perſuaſor, doctrinas bonas & ſalubres uiuendi tradit, quæ

Conſtitutio eccleſiæ.

Conſilium Pauli.

De ſpiritu apoſtolico.

quæ tamen hoc ipſo, nõ omnes ſunt præceptoriæ, quia nec diuinus ſpiritus nec Chriſtus ex eo loquens, eas uult eſſe obligatorias. Niſi dicatur in ſuis ſcriptis duplicem habuiſſe ſpiritum, eo quod dicit, Ego non dominus, quod de eo in ſuis documentis credere eſt impium & ueritati catholicæ aduerſum.

Tertia inſtantia.

Tertio inſtatur. Chriſtus permittit diuortium cauſa fornicationis, nec præcipit caſte uiuere, nec prohibet contrahere, ergo poteſt quæuis partium nubere poſt factum diuortium.

Reſponſio

Reſponſio. Admiſſa prima argumentationis clauſula, uidelicet Chriſtus permittit diuortium cauſa for-
Matth. 19. nicationis, tanquàm maiore, quia clara eſt ex euange-
Obiectio lio, ineptæ ſubſtituuntur ſequentes. Harum prima eſt.
Reſponſio Non præcipit caſte uiuere. Dico, Chriſtus directe nulli præcipit caſtæ uiuere, qui plena potitur ad contrahendum uel continendum libertate. Referendo autem uerbum hoc ad omnem euentum, falſum eſt & textui
Mat. 5. & 19. Euangelico contrarium, cum Saluator dicat. Qui dimiſſam duxerit mœchatur. Cogitur ergo dimiſſa in-
Marci. 10. nupta manere, ex quacunq; cauſa ſit dimiſſa, quantũ-
Lucæ. 16. libet uratur. Ergo ſibi indicitur caſtitas ſeruanda. Pau-
1. Corin. 7. lus quoq; ait. Præcipio, non ego ſed dominus, uxorem à uiro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit manere innuptam. Patet etiam illius falſitas in uoto caſtitatis, ubi

præcipitur

præcipitur uouenti caſtitatem caſte uiuere, per uerbum dei in Deuteronomio. Cum uotum uoueris domino deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus deus tuus. Quod præceptū, quia morale eſt, obligat in omin lege. Et Propheta in Pſalmo ait. Voue te & reddite domino deo ueſtro. De hoc plene in tractatu de uita Christiana ſcripſi. Deut. 23. Pſal 75.

Secunda clauſula. ſcilicet. Non prohibet nubere, ſimiliter falſa eſt, ut ex iam dictis claret. Secunda clauſula.

Quarto Apoſtolus dicit. Melius eſt nubere quàm uri. Si igitur perſona diuortiata uratur, poterit nubere cum ſit melius. Idem quoq; Apoſtolus ait. Quilibet habeat uxorem ſuam, & quælibet uirum ſuum. Quarta inſtantia. 1. Corin. 7.

Ad hæc dicendum. Comparatio Apoſtoli eſt abuſiua, cum uri non ſit bonum. Prætereat tamen hoc, aliter dico. Secundum illam Argumentationem ſi efficax eſſet, poſſet & illa nubere, de qua Saluator & Apoſtolus aiunt, quòd manere debeat innupta, ut pote ſi uratur. Et ſic Saluator & Paulus, ſecundum tuam ratiocinationem, laqueos poſuerunt, aut male decreuerunt eam manere innuptam. Reſponſio Vri non eſt bonum.

Dicis, quòd Paulus in hoc uerbo; manere innuptā de his loquitur qui ex alijs cauſſis quàm ob fornicatio Euaſio

nem

nem diuortiantur, ex quo non exprimit adulterium.

Euaſionis excluſio.

Cauillum hoc non excludit obiectionem. Nam etſi hoc ponatur, cogetur utiq; illa perſona quæ fornicata eſt manere innupta, quantumuis uratur. Et ſic ſtat prima reſponſio firma. Vnde & uerbum hoc. melius eſt nubere quàm uri. intelligitur de his qui plenam habent nubendi & continendi libertatem. Similiter id quod annectitur. Quilibet habeat uxorem ſuam, & quælibet uirum ſuum. de his dicitur qui actu matrimonialiter iuncti ſunt, ut matrimonialiter cohabitent & fidem thori mutuo ſeruent. Neq; enim ait. Quilibet et quælibet contrahant matrimonium. Sic enim nulli liceret continentiam ſeruare ab ipſomet conſultam, ſed ait, habeat uxorem ſuam. Suam inquam, quæ iam ſua uxor eſt.

Fornicatio non ſoluit uinculũ matrimoniale.

Cæterum in illis magis reſpectatur bonum commune quàm priuatum, quod in hoc conſiſtit, ut ſtricte uinclum matrimoniale ligatum teneatur, & quantũ poſſibile eſt, ianua ad diuortium præcludatur. Quod ſi factum fuerit, ad reconciliationem efficaciter inducantur. Nam quantumlibet altera pars fornicetur, non tenetur pars innocens, alteram ream dimittere. Etſi diuorciata fuerit, poterit eam iterato ſibi reconciliare. Ex quo etiam infertur, quòd per fornicationem ab altero coniugum perpetratam, non ſoluitur uinculũ ma

trimo=

trimoniale, alioqui non poſſet innocens, poſt agnitum alterius coniugis adulterium, reddere uel exigere debitum coniugale, quia amplius non eſſet inter eos coniugium, niſi de nouo contraherent, quod ſtaret in utriuſq; libertate, ſicut & à principio. Si ergo per adulterium non ſoluitur matrimoniale uinculum, ſequitur ꝙ nulla partium poteſt cõtrahere cum alia perſona, ſed reconciliari debent, aut manere innuptæ.

Quinto. Non eſt æſtimandum quòd Chriſtus aliter admiſerit diuortium, quàm Moyſes in Deuteronomio ubi ambobus licuit cum alijs contrahere. *Quinta inſtantia.* *Deut. 24.*

Reſponſio. Ex his quæ Moſes permiſit nihil efficaciter concluditur circa doctrinam Chriſti. Nam uetus teſtamentum imperfectum fuit, teſte Apoſtolo. Nihil ad perfectũ adduxit lex. Doctrina autem Chriſti perfectiſsima eſt, quæ nihil tortuoſitatis admittit, ſed omne recuruum ad rectitudinis normam reducit. Præterea non habetur ex textu Deuteronomij, quòd uir poterat cum alia contrahere poſt uxoris repudiationem. Sic enim ait Moyſes. Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem aut turpitudinẽ, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cunq; egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoq; oderit eam, dederitq; ei li- *Reſponſio* *Hebræ. 7.* *Deut. 24.*

 bellum

bellum repudij, & dimiſerit eam de domo ſua, uel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta eſt & abominabilis facta coràm domino. Ne peccare facias terram tuam quam dominus deus tuus tradiderit tibi poßidendã. Hæc ibi. Cõſpicis ex hoc textu nihil marito repudianti concedi de alia uxore ducenda. Et merito, ut minus ſint uiri proni ad uxorum repudiationem.

Determinatio eccleſiæ

Supradictis omnibus pro antilutherana aſſertione ſtabilienda, firmamentum & robur præſtat determinatio eccleſiæ in longæuum uſum traducta, quæ ſpiritu ſancto regitur, quæ eodẽ ſpiritu duce determinat nulli diuorciatorum licere contrahere cum alia perſona. Cuius determinatio, et ſcripturæ interpretatio in cauſa ambigua, & ſacræ ſcripturæ obſcuro intellectu, debet fideli cuiuis eſſe autentica & ſufficiens. Potißimũ accedente conſuetudine uetuſtißima, quæ in ambiguis eſt optima legum interpres.

ERRORES CIRCA hunc articulum.

ERROR PRIMVS.

Error primus.

Errant igitur aſſerentes, quòd adulterium coniugatos ſeparat, & dat innocenti facultatem nubẽdi alteri.

teri. Ex hoc enim ſequeretur, quod adulterium quodcuis penitus uinculũ diſſolueret matrimoniale, quo admiſſo, quilibet coniugum liber erit ad contrahendum cum quouis alio. Sequeretur etiam, quòd ab àltero cõiugum admiſſo adulterio, & ab altero cognito, neuter poßet alteri amodo reddere debitum, nã amplius non eſſent coniuges. Cum autem apoſtolus oſtendat matrimonij uinculum unius perſonæ cum una eſſe indiſſolubile, quo ad alter coniugum moriatur, una equidem effecti ſunt caro, ſi alter eorum cum alio contrahat, ex quacunq; cauſa diuortietur, habebit duos coniuges, ſicq; erit digamus uel digama cõtra diuinum decretũ. Roma. 7.

ERROR SECVNDVS.

Errant proinde, qui aſſerunt uerbum apoſtoli infidelis ſi diſcedit diſcedat · ſe ad omnem diſceſſum ex quacunq; cauſa extendere, & non ſolam fidem & baptiſmum reſpicere. Cõtrarium huius clare probatur per literæ circumſtantias. 1. Corin. 7.

ERROR TERTIVS.

Errant inſuper, aſſerentes, quod apoſtolus in uerbo, Præcipio non ego ſed dominus, uxorem à uiro nõ diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari, permittat diuortium propter 1. Corin. 7.

iram, pro eo quod ſequitur: aut uiro ſuo reconciliari. Hic etenim intellectus Pauli, eſſet contra ſaluatoris decretum, qui ſolam fornicationem pro cauſſa diuortij admittit, cum tamen multæ aliæ ſunt cauſæ iræ inter coniuges. Nam quis eas enumerabit?

ERROR QVARTVS.

Errant nihilominus aſſerentes, quòd illa perſona quæ reconciliationem petit, nec tamen ab altero coniugum poteſt impetrare, poteſt alteri nubere, quaſi duritia perſonæ innocentis facere poſſit, ut inter eos amodo non ſit coniugium. Stante etenim inter eos coniugij uinculo, neuter poteſt contrahere, quia dare non poteſt, quòd ſui iuris nõ eſt, hoc eſt, corpus ſuum quod adhuc alterius eſt.

ERROR QVINTVS.

Errant demum aſſerentes, quòd ſi alter coniugum compellitur ab altero ad peccatum, poteſt diſcedere & alteri nubere. Tum quia nullus poteſt alium directe ad peccatum compellere, quod originaliter in libero ſtat arbitrio. Tum quia multiplex fraus in hoc interuenire poſſet negocio. Tum tertio, quia poteſt alio ſe releuare remedio, utpote à poteſtate ſubſidium expetendo. Tum quarto, quia talis indirecta compulſio,

matri=